

H. Sgx. C
797

~~52. 1. 1877~~

597

76.
GRATVLATIO

PER IDYLLI-
ON AD ILLVSTRIS-
SIMVM PRINCIPEM
ac Dominum,

1 D. CHRISTIANVM II.

DVCEM SAXONIÆ,
Romani Imperij Archimarschallum &
Electorem, Dominum suum
clementissimum.

os(o)so

Authore

Jacobo Preschero Cos. Lom.



DRESDÆ

Ex Typograph. Matthæi Stæckelij junioris.

M. DC. II.

P E R I D Y L L I
O N A D I E L V S T R I S
S I M Y M P R I N C I P E M
et Dominum

D. C H R I S T I A N N U M
D U C E M S A X O N I A E
Romani Imperij Archicamerarius &
Electorem, Dominum
electoratus

Jacobus Sigebertus Col.

D R E S D E

Ex Typographia

M. J. B. N.



*Vi Pater ô Christi facis, omnis vt audiat auri
Præstet & officium lumen vt omne suum
Perfice, Saxonie Dux inclytus, Ensifer alter
Qui bene de Christi nomine nomen habet:
Sidere felici patrijs succedat habenis,
Seruet & ense bonos, plectat & ense malos.
Cor iuuenile regas Patris ô Sapiencia Chryste,
Hoc trahat in falsum ne malus error iter:
Sed collustratum sancti Spiraminis igne,
Quod gerit, ad laudes hoc gerat omne tuas:
Vtq; ministerio verbi tibi turba paretur,
Quæ celebret vera te pietate Deum:
Aurea tranquilla da, queso, tempora pacis,
Bellâq; pro nostro tu Duce Chryste geras.*

*Nunc tibi ceu Domino figo, Ensifer, oscula dextræ,
Per te regnantem confiteorq; Deum.
Quem tandem ex imis cordis penetralibus oro,
Vt bene succedat, quod bene cæpit opus.*

*Crescat Honor Rutæ, In Serto Trabis, IRIS Amœna,
Ne Virus Sæuum Spargat Echidna, Caue.
Viuet Nunc Demum Vicinâ SALVIA Rutâ:
Ordo Magistratus Aggere Namque Iuuat.
Incolumis Mansit Pietas Et Ritus In Illo,
Abdita Ruta Cui Hæc Insita Mansit, Agro.*

*Ruta Siona Cole, Hinc Age Laus Latè Vndique Surgat,
Ex Latere Et Christus Traditus Ora Riget.*

*Nunc pater vt patriæ mea pectoris oscula sume:
Namque iterum agnosco Numinis omne bonum.
Ab quoties vigilas, vt lentus stertere possim:
Vtq; domi maneam, tu foris arma capis.
Sunt tua bella quies, tua sunt mihi funera vita:
Nulla pericla fugis, tutus vt esse queam.
Hoc facis omne, tui vt docuisse & discere possint,
Quî Dominum in vera relligione colant.
Nunc REDIT, vnde prius mea Musa exordia sumsit,
Prôq; suo Domino duplicat ore preces.*

rus
o
ro-
di.

*Patris imago Dei, da fiat finis & ortus
Numinis vt felix triplicis auspicio.
Stelligeri Ioua qui scandisti culmina cæli
Ardua, præberes quò bona terrigenis:
Ensiferum iuuenem hunc clemens tu Nestore fido
Prospice, & hos serua, qui bene præcipiunt.
Hymnisono vt numen cantetur laudis honore,
Cætus te celebrans crescat & assiduè.*

*Sis agè nunc etiam verbis resonabilis Echo,
Principis in laudes officiosa tui.*

Nónne

*Nónne Potestatis sacra sunt primordia?
Hanc rectè ergo aliquis cum prece finit?
An status hic vitæ quoque nunc est integer?
Qualis honos, si vis esse patronus?
Expedit, vt solers onus hoc homo portet.
Tu pie Christe velis esse leuamen.
Omnia at expectes Elector prospera.
Felix es, quando jura tueris.*

*Dia.
Init.
Æger.
Onus.
Oportet
Amen.
Spera.
Eris.*

*Gratia principibus si magna relata videtur,
Si modò corda rudi carmina grata probo:
Signandum ergo mihi tempus, quo traditus Ensis,
Officij moneat me quoque vt hora mei.
In palma Erigones cum lucida stella sinistra
Spica, sub æquoreas nocte recedit aquas:
Elector noster vitales exit in auras,
Solèq; cum vero tollit in alta caput.
Si tecum est Christus, quaeso, ô mitissime Princeps,
Esse quis aduersus tèq; tuósq; potest?*

*AVGVSTI eCCE nepos eLECTOR VBI ense Crearis,
LVX septembris erat lapsa IBI sexta qVater.
DET DEUS, oro, tuæ longæuæ vt tempora vitæ
In terris hominum nemo referre queat.*



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

